



† **Exñus et Rñus Bernardus Hackett,**
Episcopus Waterfordien. et Lismorien. (1863–1932)

(*Prov. Hibern.*)

Valde dolentes audivimus mortem Exñi Bernardi Hackett, Episcopi Waterfordiensis et Lismoriensis, qui ultra undecim annos in Instituto nostro vixit et semper dignum S. P. N. Alfonsi filium se praestitit.

Natus in Hiberniae oppido Dungarvan d. 24 Maii 1863, Bernardus Hackett primum Fratribus Christianis in illa urbe instituendus traditus est, sed duodecimum annum agens in Seminarium S. Augustini, nuperrime fundatum, transiit. Mense Septembri anni 1880 in collegium S. Ioannis dioecesis suae venit, sed post annum electus est alumnus maioris Seminarii Maynooth. Quo in collegio inter sodales semper eminebat, atque curriculo studiorum ordinariorum absoluto ad domum Dunboyne missus est, ubi alumni ingenio praestantes cursum sacrae theologiae altioremetiebantur.

Die 24 Iunii 1888 ad presbyteratum ab Illñmo Gulielmo Walsh, Archiepiscopo Dublinensi, promotus, in collegio Waterfordiensi S. Ioannis constitutus est professor, quo in officio sedecim annos, et in officio Decani circa quattuor annos eventu felicissimo transegit, existimationem et amicitiam omnium sibi concilians. Adeo D. Bernardus Hackett pollebat memoria tenaci atque ingenio, ut non theologiam solam, sed etiam quaestiones perdificiles in disciplinis inter se disparibus clare exponeret. Desiderium fervidum discipulos provehendi hoc tempore in eo genuit habitum impetu quodam animi agendi, quem omnes qui postea Episcopo obviam iverunt experti sunt.


Amor magnus Iesu Christi et B. V. Mariae, qui in corde Bernardi Hackett ardebat, tandem mense Augusto 1904 eum in novitiatum Congregationis nostrae duxit, ut fieret missionarius secundum cor S. Alfonsi. Vota emisit d. 8 Sept. 1905.

Virtus eminens, quae in tota eius vita splendebat, erat caritas, impellens eum, ut assidue laboraret ad se et alios sanctificandos. Modo simplici et recto verbum Dei praedicans, in laboribus apostolicis semper exitum felicem habebat. Multos peccatores a vitiis ad Dei servitium traxit. Praecipue excelebat in opere difficili sacros secessus sacerdotibus religiosisque praedicandi.

Anno 1906, uno anno post professionem transacto, Director Archiconfraternitatis Sanctae Familiae in urbe Limericiensi factus est, ubi soda-

libus amorem fervidum erga SS. Sacramentum et fiduciam immensam erga B. V. Mariam inspirare sciebat.

Qualitates mentis et cordis eius effecerunt, ut Superiores eum eligerent Rectorem domus nostrae Marianella in urbe Dublinensi. Quo officio



per triennium perfunctus, anno 1915 Rector domus S. Alfonsi in Lime, rick creatus est simulque Consultor Provincialis.

In hoc duplici munere non diu ei laborare concessum est; nam Providentia divina eum elegerat antiquae dioecesis, in qua ortum habuerat-Antistitem. Episcopus Waterfordiensis et Lismoriensis a Summo Pontifice d. 29 Ian. 1916 nominatus, insequenti festo S. Ioseph consecratus est. «Cum omnium laetitia», inquit unus e presbyteris huius dioecesis,

« R. P. Hackett C. SS. R. ad hanc sedem occupandam vocatus est ». Occasione autem consecrationis eius Ill^mus E. O'Dwyer, Episcopus Limericiensis, in sacra oratione inter alia haec dixit: « Nulli Episcopo licet auspiciis felicioribus incipere. Nos omnes Episcopum vestrum novimus, quem cognoscere aestimare est et amare. Abhinc aliquot annis Ill^mus Bernardus Hackett ab omnibus, quae, etiam in Ecclesia, honorum studium suscitare possent, animum avertit, cum vincula amicorum cognatorumque confringens, inter fideles filios S. Alfonsi se totum dedit ad Deo et animabus serviendum. Nunc tamen Sedes Apostolica, consueta prudentia excellens, eum vestrum Episcopum elegit. Itaque nos omnes Deum oramus et obsecramus ut eius episcopatus, iam innumeris Dei benedictionibus inceptus, per multos annos persistat, atque ut tandem aliquando Antistes vester, baculo pastorali deposito, praeclara praemia aeterna consequatur ».

Quam fideliter haec pia desideria ad exitum perducta sint, omnes qui labores apostolicos novi Episcopi per sedecim annos exantlatos considerant intelligunt. Ipse erat non solum dux sui gregis, sed velut cardo ipse, quo vita populi clerique spiritualis vertebatur. Quemcumque in locum veniebat, fervorem religionis excitabat atque curabat, ut spiritus sanctitatis servaretur.

Ex^mo Bernardo Hackett dioecesim gubernante ubique ecclesiae piis Dei cultoribus erant plenae; permulti ad sacrum tribunal saepe veniebant; innumeri sacra communione reficiebantur. De his rebus maxima cum laetitia loquebatur, nam bonis dispositionibus fidelium semper gaudebat. Numerus eorum, qui poenitentes ad eum accedebant, erat permagnus, inter quos conspicui erant iuvenes et adolescentes. Erat enim optimo verbi sensu « confessor virorum ».

Sollicitudinem mirabilem piis unionibus suae dioecesis impendebat, ita ut numquam omitteret singulis mensibus, occasione communionis generalis, Missam celebrare pro sodalibus confraternitatis Sacratissimi Cordis Iesu in civitate Waterford.

Iustitia prudentiaque, benignitate et concordiae amore dioecesim suam administrabat. « Episcopus tam prudenter agebat », inquit is, qui optime eum noverat, « ut omnia dubia et difficilia divino Magistro afferret, a quo auxilia consiliaque est adeptus. Numquam sacerdotem ad aliquam parochiam traduxit, quin iret ad oratorium et coram SS. Sacramento preces funderet ».

Mors eum e mediis laboribus abstulit, sed vigilantem invenit; subito quidem, nam duabus hebdomadis ante obitum faciebat praeparationem ad Conventum Eucharisticum Dublinensem. Mors eius felix et tranquilla erat. Pl. R. P. Provincialis visitavit eum et consolationem attulit. Ipse Nuntius Apostolicus, Ex^mus Paschalis Robinson, sacramenta ultima administravit.

Die 1 Iunii, ergo ineunte mense Cordis Iesu Sacratissimi, feria IV, in pace Domini exspiravit.

Tanti Praesulis exsequias digne depingere non possumus; nam amor populi tanto fervore manifestabatur, ut qui haec non viderit vix capere possit. Circiter viginti milia fidelium adfuerunt, Episcopi duodecim, Redemptoristae item duodecim, sacerdotes saeculares saltem trecenti. Absolutione ad corpus defuncti data, pompa funebris ad templum S. Ioannis moveri coepta est. Episcopi Lismorienses plerumque quidem in ecclesia cathedrali sepulti sunt, sed quia Ill^mus B. Hackett inter pauperes tumulari desideraverat, sacerdotes dioecesani, ut huic desiderio satisfacerent, curaverunt ut in ecclesia civitatis, ubi potius pauperes habitant, sepeliretur. Eo die omnes negotiis suis desistebant, immo per hebdomadem ludis et delectationibus omnibus abstinerunt et in luctu manserunt. Funeris huius testes numquam obliviscentur reverentiae et amoris populi erga suum Antistitem, nec quanta auctoritate Hiberniae episcopatus apud omnes polleat. Ita Deus ipse providit, ut quod cordi Episcopi fuerat carissimum, in eius funere eveniret; nam per eius exsequias fides vivacior, spes firmior, caritas ardentior evasit. — R. I. P.